

P V I S

1618

- I. Catechismus de Casu Alixabili ad Academias.
 II. Simonis Stenii Dialogi duo Graecè conscripti.
 III. Orationes duas: una de Contraentu Theologiae Lutheri cum Actis
 Episcopi, Hungari Pontificis: altera Schilleri prioris Apolo-
 giam continens.
 IV. Petri tresor de Peccato Originali.
 V. Samuelis Porisii de Invato.
 VI. Orationes septem: Joannis Pfeffingero et Henrici Salmutio.
 in commendatione Rectorum Lipsiensium habita.
 VII. Oratio Funebris de Augusto Saxoniae Electore, Furmanij.
 VIII. Oratio de Vita Christiana.
 IX. Oratio Chrysostomi de Exercitu Discendi Latine reddita.
 X. Davidis Virti de Justitia et Bonis Operibus.
 XI. Oratio Aukandri quæ ad Dñm studium scolaris studiorum.
 XII. Ioannii tresor de Pelagianismo.
 XIII. Achii oratio in actu Magisterii habita.
 XIV. Hutteri Laudatio Funebris Christi: II. Electri Saxonie.
 XV. Eponis Synopsis Myliana de Comœdia Christiana.
 XVI. Mbiti: Virtutem et Laudem et tu.
 XVII. Indicatio ritus Conjugis D. Taschenberger.
 XVIII. Oratio M. Henrici Porti in Actu Magisterij.
 XIX. De studiis Teutonici Abstrusoribus.
 XX. Gedici: Defensio leonis Malibris.
 XXI. Hoffneri Oratio Funebris Lysero dicta.
 XXII. Cymbras de Peccato Triniti transallatis.

EX LIBRIS
 ILLVSTRISSIMI VIRI;
 DN. DAN. LVDOLPHI;
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,
 S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
 STATVS INTIMI, cetera,
 BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
 TESTAMENTO RELICTIS,

NF 34





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-605002-p0004-9

DFG

7 4

ORATIO
De
V E R A E T S E R I A
D E I O P T. M A X.
IN V OCATIONE:

IN ILLUSTRIS AC CELEBERRIMÆ SCHO-
læ Nassovicæ-Herbornensis solenni conventu An-
no c I o I o c I . v II . Iduum Novembris
publicè habita

S A M U E L E P H R Y S I O P O M E-
R A N O L L . S .



HERBORNÆ NASSOVIORVM
Ex officina Christophori Corvini.

Classis, Probat. 2000. P. 1. G. 1. 1. 1. 1. 1. 1.
Clas. Probat. 2000. P. 1. G. 1. 1. 1. 1. 1. 1.

OLTA 80

HEXAMETRO-JAMBICUM RO-
DOLPHI GOCLENII SENIORIS, IN DOCTIS-
SIMA ET PIETATE REFERTISSIMAM ORATIO-
nem de Precatione, doctrinæ & virtutis præstantissimi juve-
nis Samuelis Phrysi Pomerani LL.
studiosissimi.

Omnes, qui Christi de nomine nomen habemus,
 Et militemus, & pugnemus strenue.
 Arduus est hostis, vigiles persternemus in armis.
 Sunt arma nostra seria Invocatio.
 His armis ut amur: erit victoria nostra,
 Noster triumphus, euge, nostra gloria.
 His cedet tandem, quod inexpugnabile visum est,
 Tantum potest fidelis Invocatio:
 Scilicet egressam vix dum nostro ore Jehova
 Suo in libro scribi benignus præcipit.
 Si quando auxilium differt, dilatio parva
 Opis boni majoris est collatio,
 Talia & his nos plura docet tua concio, Numen
 Cui sacrum inest, & lumen Eloquentie.
 Fallor? an Eloquium, Pietas, & equitas boni,
 Antistita, aeternum tibi nomen ferent?



REVERENDO, CLARISSIMO
AC PRAESTANTISSIMO VIRO, DN. JACOBO
Fabricio, SS. Theologiae Doctori, celebrisq; Danti-
scanorum Gymnasii Rectori & Magnifico, ac ejus-
dem urbis Patricio, Dn. fautori suo perpe-
tuâ observantia colendo.

Omo divinū illud animal, duas præ-
cipue à Deo Opt. Max. dotes acce-
pit; RATIONEM & ORATIONEM: qui-
bus rectè excultis, nō solùm reliquo
animantium generi, sed illis etiam, quos natura
ipsi pares reddidit, antecellere potest. Ad hos e-
nim, tanquam duos immediatos & proximos fi-
nes ea dirigēda sunt studia, sine quibus, ut Sene-
ca ait, *vita mors est, & vivi hominis sepultura*. RA-
TIO sapientiâ & rerum utilium cognitione: O-
RATIO verbis perspicuis & decorâ membrorum
collocatione excolenda est. Qui secus faxit, alte-
rumq; ab altero separabit; ejus aut muta erit &
inutilis scientia, aut Oratio inutilis & garrula.
Quod utrumq; in vitio est. Nam nec inanis ver-

) (ij

borum sonitus odio; nec elinguis multorum sapientia molestiâ caret.

Igitur ab ineunte ætate ita studiorū meorum rationem comparandam esse duxi, ut absolutâ ^{τῆς παιδείας} cum investigatione rerum forensiū & politicarum expoliendæ Orationis exercitium conjungerem. Cujus cùm mihi primū tirociniū hoc tempore edendum esset, volui id potissimum occupari in commendando seriæ Invocationis studio, quòd hoc inter omnes in confessio sit; nullas actiones, nulla studia, quāvis diligentissimè simul & prudentissimè exculta, optatum & salutarem sortiri progressum ac exitū posse, nisi eorum initium à seria pietate arcessatur. Nā & sapientiores Ethnici ex obscuro nature lumine tantum viderunt, ut (quemadmodum Plutarchus habet) in omni conatuum & cœptorum exordio proclamandum sibi versiculum hunc ^{πραινετηκόν} putarint:

Ζῶς ἀρχὴ, ζῶς μέσα, θῶς δὲ πάντα πέλοιται.

A Jove principium, & medium, & finis quoq[ue] pendet.

Quantò magis ergo nobis, quibus cæcum illud lumen à Spiritu sancto luce cælesti accenditur, elaborandū est: ut omnibus actionibus nostris pietas & Invocatio præluceat: hac præser-
tim tem-

tim tēpestate, qua omnia videmus (ut verbis Virgilii utar) in pejus ruere, & retrò sublapsa refetur.

TIBI verò, Reverende, Clarissime, Præstantissime ac Magnifice Vir, fautor perpetuū honorande, has oratorii fructus primitias ideo offero, quòd & nomine patris mei, piæ memoriæ, multum tibi debere me planè agnoscam, idq; perliberter prædicem: & verò meo ipsius sic tibi obstrictus sim, ut ingrati animi notam effugere nequeā, nisi aliquo testimonio honoris & amoris, tibi à me debiti, responderem. Tu enim ita de eo semper sensisti, ut virum bonum, & Ecclesiæ utillem, quæ summa laus est, à te præsertim profecta, eum esse diceres: proptereaq; jucundissimā, & veram amicitiam, quæ ante multos annos, virtute, studiorumq; similitudine inter vos contracta fuit, mutuis frequēter literis excolere, firmare, & salvam ad extremum usque vitæ diem conservare studuisti; non obstante ullo temporum, aut locorum, quibus disjuncti eratis, intervallo, nullisq; rerum adversarum casibus. Nam, ut de illis officiorum generibus, quæ salvâ re, & valetudine patris mei in nos profecta sunt, hīc nihil dicam; quid consilii, benevolentiæ, conso-

-orium

) (iij

6
lationis, officii ad ipsum levandum abs te reli-
quum factum est: tum temporis præsertim, quā-
do ipsum in urbe vestra receptum quærere co-
gerent, ex una parte valetudinis adversæ ratio;
ex altera spes, eā, quæ de *Clarissimi ac Præstantissi-
mi viri Dn. D. Johannis Mathesii* (quem honoris
causâ nomino) artis Medicæ prudentiâ & peritiâ
est, opinione dignissima: qua mecum sperabat,
se pristinas vires, quas hemiplexia adeò debilita-
verat, ut nulla ferè corporis pars plenè officium
suum faceret, divinâ favente gratiâ, illius ope &
industriâ recuperaturū esse. Quo tempore cùm
ego quoque, victus partim diuturnâ patris ægri-
miseriâ, partim deplorandâ studiorum meorum
jacturâ, quam propter susceptam biennio ferè
curam ipsius facere cogebar, interdum paulò
abjectiore animo essem, quām debebam; tu hu-
manissimis me sermonibus, efficaciq; cōsolatio-
ne tua erexit, firmaq; spe sustentasti, ut expulsâ
paulatim diffidentiâ, existimarem, acceptum in
pia causa detrimentum paulò pōst divinæ bene-
dictionis vi majore emolumento resartum atq;
reparatum iri. Quæ omnia tuam erga me bene-
volentiam nō mediocriter mihi confirmarunt,
magno-

7

magnoque documento fuerunt, illam accessione amoris in patrem meum tui (hunc enim hereditate paternâ ad me venturum sperabam) ita auctam fore, ut inter paternam & tuam erga me discriminem aut nullum, aut certè perexiguum appareret. Id quod pater ipse vivus adhuc, querenti mihi de futura orbitate mea, fretus cā amicitiâ, quæ erat ei tecum, conceptis verbis ausus est polliceri. Hanc itaque spem cogitationum nostrarum nec me nec patrem fefellisse, cùm vel illud indicio sit, quòd res & studia mea tantæ tibi nunc curæ esse sentiam: ut, quod in patre demortuo amisi, in te superstite reperisse mihi videar: sequitur, me tibi, non secus ac patri, filialem debere amorem ac observantiam: quæ cùm testimonio aliquo publico tibi probare cuparem, æquum omnino fuit, ut primum ingenii mei fœtum, patri, si viveret, debitum, tibi offerrem, quem, quia amicum quidem officio, benevolentia verò patrem te mihi præstas, jure quodam patrio eam tibi vendicas. Accipe igitur munus, quod sui existimatione leve, teque planè indignum est, sed, si ex offerentis animo pensetur, grave, & meæ observantiæ & cultus

erga te monumentum: sed quale quale est, acci-
pe tamen, æqui bonique consule, illud Nasonis
cogitans:

Ovid. 3. de
Pont. E-
leg. 4.

*— qui quā potuit dat maxima; gratus abundè est;
Et finem pietas contigit ista suam.*

Vale Præstantissime Vir. Deus Opt. Max. te
cum tota domo ad sancti nominis sui gloriam,
Ecclesiæque amplificationem & incrementum
diu florentem ac in columem conservet. Her-
bornâ Nassoviorum 4. Nonar. Decembris, An-
no reparatæ salutis 1601.

T. R. D. & P.

Summā observantiā colens

*Samuel Phrysius Pom.
LL. Stud.*



M. JOHANNIS ADAMI,
RÜGENWALDEN: POMERANI
M E L O S
AD ORNATISS. ET DOCTISS.
virum-juvenem SAMUELEM PHRYSIUM,
Sympatriotam carissimum;
In ipsius, de PRECATIONE, Orationem.

ELICITANDUM numine dextero
Ad institutum, quam juvenis viam
Insistat, exculturus arte
Ingenium, patriota PHYSI,
Addiscat à te: seu studio sacræ
Sese dicarit Theologię, pia
Mens; seu facultatem medendi
Paeoniis meditetur herbis.
Famosa quamquam Justitię Dea
Te dissidentis propositi, sue
Scripsit cohortis. vah! librorum,
Non sine reloquor, heluonem!

)(

Nam vellabori vel studio, dies
 Noctesq; nescis parcere: Codicem,
 Ipsosq; Pandectas terendo;
 Quicquid & est reliquum probati
 In tortuoso Jure voluminis;
 Quodex Quiritum provida legibus
 JUSTINIANI cura, ad usum
 Disposuit venientis ævi.
 Places sed isthuc nomine per places,
 UNUM NECESSARJUM esse quod insuper
 Existimaris, quo teneris
 Auspiciis itiner secundis
 Per ampla LEGUM compita: sedulò
 Votis vacandum scilicet, & probo
 E corde deducta JEHOVAM
 Sollicitâ prece demerendum;
 Posci volentem. Quæ penetralibus
 In cordis ipsis abdita sunt, loquax
 Profert apertas os in auras.
 Elogiis id & ipse prodis
 ORATIONUM. Credibile est enim
 Te sapemixtum colloquiis Deo:
 Sermone qui tam copioso,
 Tam bene materiam precandi

Es

11

Es prosecutus, plaudat ut libens
HERBONA, dicenti è cathedra tibi,
Et omninetur perbenignè
Protinus ad Themin audiendam,
Sic præparato; cuius, ut auguror,
Sensura fructum est, sive BORUSSICA
Quæ fovit olim, sive, quæ nos
Progenuit, POMERANA tellus.

Macte esto virtute. Huc ubi pectora
Flagrant honesto accensa Cupidine
Scientiarum, huc est eundum,
Et solitum precibus laborem,
Suffulciendum. Nam Pater annuit
GNATI petitis nomine. Certius
Oraculum haud est. Sed JEHOVA
Præterito, nihil est beatum.

KK ij



12

I



ORATIO *De* INVOCATIONE.

VETUS est consuetudo, *Inclyti ac Generosi Comites, Reverendi, Magnifici, Clarissimi, Consultissimi & Præstantissimi Viri*, præceptores debita observantia colendi, Tuq; letissima doctissimorum Juvenum corona; consuetudo est, inquam, vetus, & à priscis Eloquentiæ authoribus recepta usurpataq; ut, qui dicendi gratiâ in publicum prodeunt, antequam ad *sacerdotum* suæ Orationis veniant, verbis auditorum animis sese insinuent: quò & libentius audiantur, & Oratio majorem mereatur gratiam. Quod sicuti vetus est inventum, ita neutiquam improbandū censco: Sumus enim iis, qui amicis verbis nos conveniunt, audiendis à natura propenses. Verùm majorem benevolentiam & favorem sibi vix quisquam conciliare posse videtur, quàm si ostendat, id, de quo verba facturus est, maximoperè profuturum esse Auditoribus.

Ego itaq; cùm de jussu ac voluntate Magnifici Rectoris nostri, primus hoc tempore in arenam hanc descendere, ac exercitii gratiâ dicendi rationem subire in animum induxissem, de argumento perplexus diversè traherèr, tandem cœpi mecum cogitare, ejusmodi materiam Orationis commodissimè sumtum iri, quæ rebus potius, quàm verbis se **V O B I S** commendaret, & cuius dignitas per se satis magnam mihi audientiam ficeret. Non enim tantâ verborum copiâ & splendore me instructum videbam, ut rem vestris auribus grataam, probabilem & jucundam vobis reddere possem. Tandem igitur re diu multumq; deliberata, nihil laudabilius, utiliusve me factum videbā, quàm si considerata & ingenii mei tenuitate & præsentium temporū conditione, **I N V O C A T I O N I S** studium in medium

A

proferrem, hoc est, de ea virtute aliquid dicerem, quâ omnia pericula & mala, quantumvis magna, quibus expositi sumus, propulsare & avertere possimus: quæ ut omnibus rebus, ita etiam studiis nostris non modò salutaris, verùm etiam omnino necessaria est. Magna, profectò, vis, magnum momentum in ea situm est! Certum est enim illud, quod dixi, non armis, non equitatu, non magnâ militum copiâ, non munitionibus, vel aliis præsidiis ullis effici tantum posse, nec ingenio & industriâ duntaxat nostrâ, quantum seriâ ad Deum oratione, invocatione ac deprecatione. Quod si cui dubium videatur, audiat ille testem omni exceptione majorem, Apostolum Jacobum:

Epist. Jac. c. 5. v. 16. *Oratio, ait, justi multum valet, si est assidua: audiat Origenem, qui multo plus valere dicit unum sanètum orando, quam peccatores innumeros præliando.* De hac Divus Ambrosius: *Bonum scutum Oratio: De hac*

Johannes Poëta Christiani versus feruntur:

*Nos prece, non aliis armis pugnamus ad hostem:
Qui prece se munit, cum prece victor erit.*

Quæ cùm ita sint, nos considerantes, quòd (secundùm viri quondam incomparabilis, Philippi Melanchthonis carmen)

*Nullius est felix conatus & utilis unquam,
Consilium si non det q, juvet q, Deus.*

Nos ipsos primùm excitabimus; dictoq; Nazianzeni auditentes, quod Deum omnibus in rebus ἀρχὴν καὶ τὸν Θεόν facere jubet, in primis intimis cordis nostri ex penetralibus orabimus Deum patrem, ut propter filium suum unigenitum, quem voluit pro nobis esse vietimain, μεσίτην, καὶ inέτην, suo sancto Spiritu nobis præsto esse, & corda nostra illuminare velit, quò eum cum vera fiducia invocare possumus, nec dubitemus, quin omnia quæ petiverimus, si modò ad salutem nostram proficiant, liberaliter sit nobis concessurus; idemq; & mihi ad dicendum de INVOCATIONE, & ad considerandum veram Invocationem, omnibus vires animumq; largiatur. Nunc ne diutius vos suspensos teneam, justoque ordine omnia pertractem, aggrediar quod propositum est, non dicendo, neq; enim id ego possum, nec mihi arrogo, sed balbutiendo, non quidem tam demonstrare, quam adumbrare, & magis mei ipsius exercendi causa, quam ut aliquid

aliquid vestris dignum auribus afferam: aggrediar, inquam, ostendere, nihil vel dignius, vel magis necessarium & salutare homini esse unâ Dei Optimi Maximi IN VOCATIONE. Quod dum facio, peto à vobis, ut mihi de rebus pulcherrimis pro ingenii mei exiguitate disserenti, temporis exigui usuram ne denegatis, meamque infantiam vestrâ æquanimitate sublevetis.

Placet autem instituti nostri principium ab ipsa rei definitione arcessere, unde omnia quæ progressu Orationis dicturus sum, faciliùs & rectius intelligantur.

Est igitur INVOCATIO Christiana nihil aliud, quam explicatio CORDIS nostri coram Deo, qua propter filium Jesum Christum, Mediato-rem ac Redemptorem nostrum precamur bona necessaria. Quam defini-tionem nos bene expendere, & animo nostro volutare æquum est; sejungit enim veram Invocationem ab hypocrita, nec non reprehendit inanem illam βαθολογιαν, quâ homines dant sine mente so-num, & Deum, qui intimas cordium lâtebras scrutatur, nec tam verba, quam animum ipsum considerat, gravissimè offendunt. Deinde non verum invocare Deum, ex hac definitione convincuntur illi, quicunq; non eum invocant Deum, qui filium suum unigenitum misit in hunc mûdum Mediatorem, ac propter eum se nos exauditum promisit. Egregia, & sancta profectò res & omnino ejusmodi, ut ea, quicquid in tota rerum natura egregium, salutare ac bonum est, comprehendendi ac includi videatur. Nam quid non oratione im-petrare & obtainere licet? Si Deus oratione possidetur; omnia gaudia, omnia bona necesse est possideri. Unde qui in hujus studio remissus, aut languidus est, idem profectò thesauri omnium preciosissimi, suęq; ipsius salutis prodigus, & in Deum extremè contumeliosus est, qui talia nobis tam liberaliter offert, nec utrum ea petere velimus nostro relinquit arbitrio, sed seriò eorum postulationem à nobis cùm alibi passim, tum præcipue in legis suæ compendio requirit; ubi nominis sui sancti Invocationem ordine accommodatissimo nobis præscribit, ita, ut præcepto quidem primo eam intus & in animo concipi: proximè verò sequenti extenorū quoq; gestuum cultu exprimi ju-beat. Tertio deinde lingua & sermone enunciari, & quarto denique

internè ac externè certis diebus in publico cōetu exerceri præcipit. Il-
lis verò verbis, quæ quinto legis libro habentur, quid clarius, quid

Deut. 6.v. expressius? *Dominum, inquit, Deum tuum adorabis, & illi soli servies.*
13. &c. 10.
v. 20.

Matth. 6. In Novo Testamento Servator noster Christus Jesus itidem nos ad
v. 9. Luc. orandum excitat, imò formam Orationis nobilissimæ ac optimæ
ii. v. 2. optimam ipse præscribit: & quoniam homines nulla re magis addu-
cantur ad rem aliquam faciendum, quām præmio, mercede, com-
modo, nemoque sanus eò adduci potest, ut incassum laborare velit;

Luc. 18. v. contrà verò, quoniam nihil est nobis familiarius, quam de divina vo-
luntate dubitare: propterea Christus apud Lucam exhortans ut sine
1. 2. 3. & intermissione oremus, pulcherrimâ exhortationem suam illustrat
seqq. parabola, de judice iniquo & vidua, quā familiariter nobis inculcat &

Matth. 14. ostendit, preces frequenter factas neutquam irritas fore. Nec desunt
v. 23. ipsius Christi exempla, quem constat orâsse in deserto, in monte, &

Marc. 6. v. passim alibi locorum *. Et quid multis opus est? præcepta, exempla

** Matth.* ubiq; obvia, quæ omnia hîc recensere nimis longum foret; sufficiat
26. v. 39. in quædam recitâsse, ne, ut corrupta est natura nostra, nullam rem vili-
horto. orem ac inutiliorem esse arbitremur, quām Invocationem, atq; ita

Luc. 23. v. nō hominem, sed Deum ipsum contemnamus, nobismet ipsis verò
34. in cruce maximè incommodemus. Enimverò ut Deo propriè convenit u-

Iohan. 11. pul. Lazar. nicè invocari: sic homo ad hoc officium summâ obligatur necessi-

Johan. 17. tate, ut Deum quotidie studeat invocare. † *Sumus, vivimus, move-*

v. 1. 2. & mur in Deo: *Omne bonum à patre luminum descendit: bona & ma-*

seqq. post. lana non nisi ab illo nobis eveniunt; ut, ut sine Deo felices esse possu-

institut. mus, tamen illa felicitas in æternam nobis sine Dei agnitione & glo-

cena. rificatione (ut de Ethnicis electum illud Dei organon, Apostolus

† Act. 17. Paulus scribit) cessura est damnationem. Quid ergo? Hominis bo-

v. 28. num est singulis momentis à Deo sustentari, sine illo nihil habere,

Jacob. 1. imò sine eo nihil omnino esse: & non erit officium ejusdem; cùm

v. 17. possit, & debeat, hoc agnoscere, ac Deum invocare ac glorificare?

Rom. 1. v. Semper homines eas res artesque magnificiunt, ac pro dignissimis

24. & habent, quibus ad magna pervenitur, quibus vita felicitas sarta tecta

seqq. conservatur. Quæ magna? quæ felicitas? nugæ, somnia, quisquilia,

evanida, caduca omnia: alia bona sunt, quæ totius mundi thesauris

non



non comparare liceat. Enim verò nullius est tantum flumen ingenii, nulla dicendi tanta vis, tantaq; copia; quæ, non dicam satis exprimare, sed explicare illa bona possit. Quid enim nisi ineffabile beneficium est, hominem à bono ad malitiam, à sanctitate ad peccatum, ab integritate ad defectum, à puritate ad immundiciem, à salute ad interitum propria voluntate declinantem revocare, errantem reducere, lapsum erigere, illudq; efficere, ut interitus ad salutem, impunitas ad mundiciem, defectus ad integritatem, peccatum ad justitiam, & denique malitia ad bonitatem cedere cogatur. Verè enim mihi video dicturus, remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, regenerationem, ac vitam æternam, majora esse beneficia cœli & terræ, angelorumq; ac hominum creatione: hæc enim omnipotenti quidem verbo Dei; illa verò, non nisi sanguine unigeniti filii Dei in effectum produci potuerunt. Hæc igitur omnes homines exceptunt quidem ac desiderant; media verò, quibus illa acquiruntur, sectari & tenere festinat, imò cogitat nemo: Quò magis hæc plus quam supina detestanda est negligentia, cùm hæc beneficia tam facile seriā & fideli invocatione parentur. Omnipotens enim omnium bonorum dator Deus, non solùm ut oremus mandavit, sed etiam dulcissimas huic mandato annexuit promissiones, in quibus nobis offert reconciliationem, remissionem peccatorum, ac vitæ æternæ hereditatem. Cui quidem rei testimonia satis illustria perhibent passim in sacris literis Prophetæ ac Apostoli. Ex infinita eorum copia quædam tantum delibemus: Sanè Paulus doctor ille gentium ac eximus Christi servus, in ea, quam ad fideles Romæ degentes scripsit *Rom. 5. v. 1.* Epistola, *justificatos fide pacem dicit habere erga Deum;* itemque in alia quam ad Ephesios misit: *Per Christum, inquit, audemus accedere cum Eph. 3. v. 12 fiduciâ, per fidem in ipsum.* A quibus verbis non multum abludit illud, quod idem alibi disertè inculcat. *Habemus, inquiens, Pontificem magnum, Jesum;* accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiae. Quid multis? in eo certè consistit dignitas Invocationis vel maxima: quod Deus & spiritualium ac corporalium bonorum exauditionem, promittit invocantibus, in vera fiducia filii sui unigeniti. Atq; hoc est quod illum Dei internuncium Moysen, quando populum Israëlitis

Rom. 5. v. 1.

Eph. 3. v. 12.

Heb. 4. v.

14. 15. &c. 16.

Johan. 14.

v. 13 c. 16.

v. 24.

Marc. 1.

v. 24.

Jacob. 1. v.

Deut. 4.

v.7.

Psal. 145.

v.18.

Joh. 15. v.7.

Ibid. v.16.

cum (*ut est in Deuteronomio*) ad purum Dei cultum adhortabatur,
 movit, ut diceret, non esse aliam nationem quæ habeat Deos propinquos
sibi, sicut Deus ipsorum, ut qui adsit cunctis obsecrationibus ipsorum. Idem
cogitans sensit quoq; Regius Propheta David, *Cum prope est, inquit,*
Dominus in vocantibus eum, omnibus in vocantibus eum in veritate; vo-
luntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet. Quàm
 verò magnificè & ipse Salvator noster precum dignitatem extulit,
 cùm hujusmodi verbis amicissimis ad earundem studium nos invi-
 taret: *Si manseritis in me, & verba mea in vobis; quicquid volueritis, pete-*
tis, & fiet vobis. Et rursus: *Quicquid petieritis patrem in nomine meo, da-*
bit vobis. Jam verò quis non suspiciat & ad stuporem usque miretur
 hanc benignitatem & clementiam? quam nobis declarat Deus, dum
 miseris mortalibus tantum honoris largitur, ut dignos nos reputet,
 ut in jucunda secum descendamus colloquia, nostraq; vota & desi-
 deria apud filium ipsius unigenitum deponamus: & ita quidem de-
 ponamus, ut nunquam repulsam passa ullam ad nos revertantur.
Nunquam enim (*ut scitè Divus Bernhardus*) *irrita est precatio; si non*
hoc impetrat quod tu expectas, tamen alia impetrat meliora. Quæ cum
 ita sint, quis erit tam perficit frontis homo, tam nihil nec de sua, nec
 de communi salute cogitans, qui ad precandi studium alacriter non
 feratur? Cùm Creator omnium bonorū hoc à nobis requirat: imó,
 ne videatur nobiscum, tanquam cum filiis suis, summo, quo posset,
 jure agere, & rigidè exigere, dulcissimis potius allicit promissionibus;
 utque cō melius infirmitati ac incredulitati nostræ consulat, jureju-
 rando de præmii certitudine nos confirmat, quos vel solo nutu affir-
 manti credere decebat: quippe in cuius ore nullus inventus dolus
 unquā fuit: tantūmne? Imó qui est Veritas ipsa, adeoq; fons omnis
 Veritatis. Quod si igitur has tam paternas invitationes susq; deq; fe-
 ramus, aut securè, ne quid gravius dicā, negligamus, quid expectare
 aliud poterimus, nisi quam justo judicio in nos derivaverimus iram
 & offenditionem tantó majorem, quantó gratiam ingratis antea ob-
 tulerat uberiorem? Neq; hoc immerito. Si enim quod politicus no-
 bis injungit Magistratus, non impunè negligimus, quantæcum poe-
 næ peri-

næ periculo ejus violari mandata posse putabimus, qui est supra o-
 mnes Magistratus, nec solum jus & jurisdictionem in corpora, & rem
 familiarem, & facultates nostras obtinet, sed unâ cum corpore ani-
 mam talibus adjudicare tormentis potest, quibus nulla unquam
 ætas finem aut modum allatura est. Discamus ergo magnificere In-
 vocationis studium. Non enim parvi momenti res est, quod Deus
 per unigenitum filium suum, hanc suam nobis patefecit volunta-
 tem, eamq; tam amicis promissionibus illustravit, & tot tamq; illu-
 stribus testimoniosis confirmavit. Quod non populari trutina, sed,
 quod ajunt, aurificis statera examinâsse, atq; adeò rectissimè intelle-
 xisse mihi videtur religiosissimus ille Bernhardus: *Nemo nostrum, in-*
quicns, fratres, parvi pendat Orationem. dico enim vobis, quod ipse, ad
quem oramus, non parvi pendat eam; qui, priusquam egressa est ore nostro,
eam scribi jubet in libro suo. Quod idem & Taulerus non leviter expen-
 disse videtur, ubi non minus venustè, quam verè pronuntiavit: *Deum*
multò esse avidiorem ad dandum, quam nos ad accipiendum. Quę cùm ita
 se habeant, cat nunc aliquis Lucianus, perfricit frontem, & dicat,
 ullam esse rem aliam, quę invocationis studium dignitate, gratiâ, ad-
 do etiam commodo, non dicam superare, sed æquiparare queat! Hoc
 unum est omni laude, celebratione, atq; observatione dignissimum,
 hoc unum nos in colloquium cum Deo adducit: hoc nos cum ipso
 coadunat; hoc unum quicquid nobis salutare est, impetrat, quic-
 quid noxiū repellit, tantò illâ veterum laude celebrata Panacæâ
 dignius, quanto terrena cælestibus, caduca sempiternis præstantiora
 judicantur.

Jam quid ego de precationis necessitate persequar, quam certè
 omnibus pariter incumbere, utinam partim ex instantibus periculis,
 partim ex indigentia nostra, partim ex humanarum virium tenuita-
 te agnosceremus: ne aliquando magno nostro cum damno, affecta-
 tam ignorantiam hac in causa deplorare cogeremur. Certè à pre-
 candi necessitate nemo mortaliū eximitur: cùm ea sit conditio
 rerum humanarum, ut ope divina indigeant summi pariter ac insi-
 mi, divites ac pauperes, senes ac juvenes: deniq; privatim ac publicè
 divinâ benignitate quicunque sit, carere ne quidem ad momentum

possit. In quam sententiam meritō commendatur vox sapientis cuiusdam senis Ethnici, qui præfatus suæ familiæ ac soboli preces, dixit: *δέ χειραπόντες δὲ Θεῶν χαλέπσιαν θρηπούσι.* Quare hac in causa non possum non deplorare ac detestari satis summam mentis humanæ perversitatem, ac cordis nostri duritiem: quod, cum teste vel homine Ethnico Homero, inter omnia animantia nihil miserius, nihil tot, tamq; variis periculis & calamitatibus expositum, terra alat, quam homines:arma tamē quæ istis facili negotio propulsandis, habere possent præsentissima, P R E C E S puta, non arripiant, & ad se defendendos non accingant, sed securè in utramvis aurem dormientes, hostem pro libitu s̄avire, ac cælum terræ miscere patientur. O cæcitatem, caliginem, & tenebras humani cerebri, plus quam Cimmerias! O injuriam, stultè ab homine ipso sibi illatam! O impietatem in Deum deplorandam, exsecrandam, & ad inferos relegandam! Quis est, qui rem pro dignitate perpendere saltem, nedum idoneis verbis enarrare possit? Quæ, quamvis nunquam acri censura & reprehensione caruit: (semper enim Deus aliquot pietatis studiosos & amantes excitavit, qui securas hominum mentes ab ejusmodi pigritiâ & cordia excitarent) hac tamen tempestate omnium minimè ferenda est. Incidimus enim (proh dolor) in ea jam tempora, de quibus per revelationem Johannes tantopere queritur: *Væ terræ & mari,* quia descendit Diabolus ad nos, magnâ ira æstuans, ac sciens sibi modicum tempus superesse; ignita igitur tela sua ejaculatur, omnes nervos intendens, ut Ecclesiam mari expositam submerget, penitusq; è medio tollat. Nam etsi in aquis periclitantes, non jam, ut ante, à Nicolao opem petimus, febri laborantes Martinum non invocamus, in luto hærentes sancti Hyacinthi suppetias non imploramus, Floriano & Laurentio cultum nullum exhibeamus, nec alios portentosos deos veneremur: haud tamen scio, an istis minores apud nos errores ac hæreses invaluerint. Quilibet suo indulget genio, sui cerebri deliria, & somnia perversa, in publicum arenæ campū producit, suas quisq; opiniones veneratur & adorat, in iisq; valde sibi placet, pro libitu suo & præconcepto judicio sacram Scripturam interpretatur, detorquet ac corrumpt. Inde plenis undiq; rivis tot mala se in Ecclesiam effundunt; hinc tantæ in cœtu

Homerus:
Iliad. e
Odyss. o.

Apoc. 12.
v. 12.

9

cœtu Christianorum perturbationes; Hinc distractiones: hinc di-
gladationes: hinc devastaciones Scholarum, plus quàm barbaricæ;
quas nullius, licet sapientissimi hominis, prudentia ad pristinum in-
tegritatis statum possit revocare. Multi quomodo caro Christi in o-
mnibus omnino locis præsens sit, non dico argutè, sed perplexè dis-
putant, quam tamen vel in duobus, eodem tempore, diversis locis
esse, nunquam evicerint, ex corpore facturi nescio quod monstrum,
infinitum simul, & tamen circumscriptum; humanum, sed tamen
propriatum humani corporis expers: conantur nimirum antè mo-
dum indicare rei, quàm ipsam rem unquam fuisse, aut esse potuisse
cuiquam probarunt. Alii Pyrrhonis haud paulo acutiores, modò
sensum videndi fallere, modò assensum nostrum à fonte veritatis
ipso cohibere atque avertere audent: Illud quidem, dum volunt, ut
statuamus, panem, qui in Missæ, quam vocant, celebratione, sub ob-
tutum nostrum cadit, panem non esse, sed panis tantùm externam
quandam speciem, & accidens, nullâ subiectâ ejusdem formâ, aut
substantiâ: hoc verò, quoties nos voluntatem Dei, de perfecta remis-
sione peccatorum nostrorum, per filium ipsum revelatam, in dubiu-
m vocare jubent impudentiâ plus quàm Diabolicâ. Alii ad imi-
tationem Cærinthi maledicas suas etiam in unigenitum Dei filium
linguas armare, & manifestissimæ Scripturæ luci tenebras offundere
non erubescunt. Arianos dico, & Samosatenianos, qui copias quasi su-
as in Polonia & Moravia in aciem contra Imperatorem cæli educunt,
mysteria divina ad humanæ rationis delirantem trutinam exami-
nant, & eum blasphemico ore titularem Deum nuncupant, quem nos
merito tutelarem agnoscimus prædicamusq; singulari cum animo-
rum nostrorum gaudio & solatio. Horret animus vel breviter narra-
re, quæ illis voluptati est, magnis & impiâ diligentia consutis volumi-
nibus pertractare. Hic sese pia mens orando exserere debet, ad ejus
gloriam tuendam, cui terrenorum omnium usum salutarem, & cæ-
lestium possessionem æternam, acceptam tenemur ferre. Sed quo-
tus quisq; est, qui seriò afficiatur Redemptoris sui honore & reveren-
tiâ Ne nos confundamur, à nullo etiam admoniti, flagitamus pluri-
mum. Infringamus verò, infringamus, hunc cæcum immodera-

B



Theodore-
tus lib. 5.
cap. 16.

tumq; nostri amorē & virium nostrarum, affectuumq; pronitate in
 eū feramur, qui solus bonus est, & nobis omnis boni author. Hic non
 incommodè recenseri potest memorabilis illa historia de sapiente
 viro *Amphilochio*, Iconii in Lycaonia episcopo orthodoxo, qui in Ec-
 clesia Christi magnum eo tempore nomen obtinuit, quo Ariani fi-
 nes suos, etiam Christianis Imperatoribus aliquantum conniventib-
 us, propagare satagebant. Is cùm à Theodosio Imperatore petiisset,
 ut Arianorum ex urbibus ejectione exitiosa & blasphemia ipsorum
 conciliabula disturbaret atq; discuteret, Imperator verò id fieri abs-
 que periculosa seditione non posse responderet, interjecto deinde
 tempore cum aliis Episcopis in Regiam venit, ut Arcadio Impera-
 toris filio, qui paulo antè in patris locum evectus & Imperator desi-
 gnatus erat, gratularetur. Cumq; reliqui Episcopi patri primō, deinde & filio Arcadio gratularentur, solus Amphilochius patre Theo-
 dosio pro more salutato, filium astantem quasi aspernans neglexit.
 Quod cùm Imperator Theodosius ex oblivione fieri arbitraretur,
 eumque moneret, ut etiam filium accederet ipsumq; salutaret, Am-
 philochius, Satis est, respondit, quòd te patrem hoc honore dignatus
 fuerim. Quo responso cùm Imperator offenderetur, sapienter &
 cordatè sic ad Imperatorem Amphilochius, Tu, inquit, offenderis,
 filium tuum contemni, & putas, Deum non offensum iri, cùm uni-
 genitus IPSIUS filius spernitur, atq; ejus contemtores nimis indul-
 genter in Regno tolerantur. Imperator ut candidus erat & pius, senis
 Episcopi prudentem & liberam admonitionem illam verbis & facto
 præstitam ita admisit obedienter, ut honorem filii Dei, quem Ariani
 maculabant, ardentiūs affereret ac vindicaret. Onerosa hæc est causa,
 IN VOCATIONEM Dei urgendi constanter, & studiosè, ut bonum
 illud summum, ad quod *Invocatio* dirigenda est, salvum & rectè co-
 gnitum nobis maneat, utq; animosi ad inæstimabilem illum thesaу-
 rum conservandum Heroës excitentur, & zelo digno ad gloriam Je-
 hovæ exercituum (cum qua nostra salus semper est conjuncta) illu-
 strandam inflamentur. Cæteri, nescio quas, de tollendis legis divi-
 næ repagulis, & vivendi pro libitu libertate revocanda, opiniones,
 somnia, & deliria in theatrum producunt, ut populo, quemadmo-
 dum

dum Jeremias ait, placentia loquentes, eō facilius suas ipsi obtrudant nugas & fabulas. Interim fideles Doctores contemnunt, dirasq; in illos calumnias & obtrectationes expuunt, & impurissimo ore suo eructant, ex quibus ipsi, illis in odium adductis, crescere possint. Quo sanè artificio, ut nihil hodie est usitatus, ita haud scio, an quicquam accedit proprius ad naturam Diaboli, cui calumniæ suum nomen indiderunt. Nam cùm convitia, etiam cùm verè dicuntur, non sine dolore audiantur à sapientibus: quanto magis odiosa est illa effrenis rabies, deformans non solum innocentes, sed etiam de Ecclesia, & tota posteritate optimè meritos. Hæc nimirum in Cathedris jam ebrietas dominatur! Quando doctrinæ ratio reddenda est, tanta tunc est vis æmulationis, tantus τῆς αὐτολογίας & φιλονεκίας ardor ac cupiditas, tanta se prodit sævitia, tanta tyrannis, ut pia mens de ea, sicut debet, cogitans, magnitudine & atrocitate ejus obruta, & quasi offusa, tantum non obstupescat. Hæc certè mala meritó ad preces faciendas stimulos nobis addere debebant, ut interim nihil hīc dicam de aliis periculis, quæ nobis in conspectu sunt posita. Oculos saltem atq; animos convertite ad Turcas & Tartaros, gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni armorum ac copiarum genere abundantes: quām latè progrediuntur in limites nostrarum Regionum? quām crudeles faciunt vastitates? excidunt urbes, delent scholas, dissipant Ecclesiæ, evertunt Republicas, & redigunt ad stabula & mapalia immanum latronum, qui blasphemum os suum in cælum ponunt, ac æterno filio Dei, adeoq; ipsi Patri ac Spiritui sancto convitia faciunt, & apertè maledicunt, ac Christi membra crudeliter trucidant. Sed quid mirum juratum Ecclesiæ hostem tantam in nos sævitiam exercere: cùm intra Ecclesiæ viscera experiamur tyrannidem tanto atrociorem, quanto dominatum in animas, servitute corporali, omnes putamus esse duriorem. Cui non audita est crudelis illa, superiorum temporum laniena Gallica, *Vesperis Siculis* ita conformis, ut authoris crudelitas exemplum quodam inde desumisse videatur? Ad quem fama & auditione non pervenit sanguinolenta illa Hispanicorum *Druydarum* inquisitio? cuius fraude sub sanctissimo Ecclesiæ nomine, & Catholicæ Religionis

Chron.
Galliæ *Emissi-*
lii lib. 7.

prætextu tot myriades hominum, virorum pariter & mulierum, senum ac juvenum, ad solam adversariorum accusationem improbā, causā incognitā contra jus naturale, divinum, gentium, ac civile, damnati, ad supplicium ducti, & exquisitissimis tormentis excruciatī, mortem oppetierunt. Ad præsentia tempora redeamus: quas idem Iberus cum suis Marianis latronibus vires, quos nervos non intendit? quid inausum, quid intentatū relinquit, ut miseram mirabili modo in Belgio hactenus collectam & servatam Ecclesiam Dei affligat, sternat, funditusq; eruat? Horum igitur omnium periculorum quid in causa aliud esse potest, quid Deum movere, ut ad cō gravissimis nos flagellis exerceat, & hostes Ecclesiæ tam diu impunē in cōtum nostrum s̄avire patiatur? quām, ut, qui vetero peccatorum sepulti sumus, tandem aliquando expurgiscamur, & moti periculis, jam jam cervici nostræ imminentibus, ad spiritualia precum arma confugiamus, quibus solis contra hostes durare possumus. Est enim ingens humani animi superbia, & in rebus secundis quasi in profunda temulentia, Dei, ac rerum divinarum neglectio & contemptus, quæ nisi mole calamitatum & ærumnarum, quibus hæc infirma natura hominum veluti Oceano obruitur, maturè coērcentur; nemo, profecto, nemo in cælum suspiciat, nemo oculis, mente, & lingua æternum illud Numen, à quo hæc rerum machina gubernatur, requirat. Ergo nisi talibus tantisq; malis penitus succumbere voluerimus, nec solum corpore, sed, quod majus est, anima ipsa in æternum periclitari: ad Mediatorem nostrum corde contrito, ac tremente sermones ejus accurramus necesse est: supplices ante faciem ejus procidentes, agnoscamus & deploremus horribilia sclera nostra, quibus ipsum ad iram provocavimus: fateamurque justissimo judicio nos ab ipso plecti, & verè commeritos esse ista suppicia, quæ in spectaculis tristissimarum poenarum publicarum conspicimus: eumq; veris ac seriis gemitibus preccemur, ut nostri misereatur, mitiget nobis poenas propter intercessionem filii sui, qui est umbraculum, ne ira patris deleat universum genus humanum; arceat à nostris cervicibus truces, acinaces & gladios barbaricos, & tyrannidem, vim, ac potentiam omnium eorum qui conantur gloriam ipsius obscurare, clementer à nobis aver-

bis avertat. Nec orandō defatigemur, quamvis eventum non statim votis nostris respondere, sed morā aliquā nos exerceri intelligamus. Nam, ut ille dixit, sēpē parva *dilatio*, est majoris boni *collatio*. Deus enim, secundūm dictum Chrysostomi, propterea aliquandiu postulationem differt, ac tentationem irruere sinit, ut ad ipsum & frequentius confugiamus, nec ab ipso discedamus unquam. Quemadmodum enim amantiores liberorum parentes, cum parvulos suos viderint à se discedere, subornant famulos, terribilia multa simulantes, ut exagitati metu parvuli, ad maternum sinum confugiant: pari ratione Deus Opt. Max. sēpenumero nobis intentat minas, non ut irroget, sed ut nos ad se potius pelliciat: siquidem, cùm ad ipsum fuerimus conversi, continuò dissolvit timorem. In quam sententiam idem alibi quoq;
 dicit: *Si instes postulando, etiamsi non continuò accipies, accipies tandem.* Chrysostomus.
*Propterea quippe ostium clausum est, ut tu pulsare cogaris: idcirco non cele-
 riter annuit, ut tu diutius petas. Permane igitur in querendo atq; pulsan-
 do, & absq; ambiguitate accipies.*

Sed quo metandem Necessitas IN VOCATIONIS abripuit? jam dudum enim mihi videor inaudire quempiam ita insurram auribus meis: satius esse cum desiderio, quām cum satietate discedere; itaq; et si de VI quoq; & efficaciā piarum precum fructuosa, pro eo, ac par erat, prolixius dicere me posse, initio confidebam: tamen quia nimis diu detinendi non estis, ex infinita eorum copia, quae dici debebant, quantum potero, quantumq; satis sit, residuo præsentis horulæ momento seligam ac delibabo. Vetustas Virgulas quasdam esse tradit, quas divinas appellantur: quibus arreptis quicquid votis concipiebatur, miraculoſo quodam modo statim in parato esse incipiebat. Mittamus FABULAS. Precatio est divina illa Virgula, cuius ministerio suppeditari nobis experimur, quæcunq; cupimus, vel optamus: modò divinæ gloriæ, & communi, nostræq; saluti non officiant. Nam si quæ eō cessura non sunt, de iis ne per somnum quidem cogitare debemus. Exempla ex sacrarum literarum monumentis adducam? Sexcenta pro uno in promtu sunt. Vultis incipiam à sanctis patribus? Vultis post collectam è gentibus Ecclesiam? En vobis patrem omnium fidelium Abrahamum, qui decretum à

*Gen. 18. v.
20. 21. 22.*

23. usq; ad finem cas- pitis. Deo ipso horrendam quinque urbium deflagrationem, & tot milli- um hominum extremam interacionem, deprecatione sua aver- tisset: si ex eorum numero decem modo veræ pietatis studio deditos reperturus fuisset. En hujus consanguineum *Lothum*, cuius preces tanti apud Deum erant, ut civitas Zoar, ex divina ultione jam ad ignē damnata, suam illis conservationem acceptam referre jure quodam possit. Etenim, quoniā non tam fessus de via, quam metu percussus, cum sua familia Lothus usq; ad ostensum à Deo montem, ante solis ortū se per venturum diffideret: ideoq; Dominum precaretur, liceret sibi suisq; ea in civitate, ut erat proxima, receptū querere: ut in agnā se piorum rationem habere manifestius ostenderet Deus; concessit hoc precibus Lothi, inq; ejus gratiam pepercit iis, in quorum extre- mam interacionem sese accinxerat. Quā in historia probè notan- dum illud est pronunciatum, ubi Deus ipse: *Non potero, inquit, face- re quicquam, donec per veneris illuc.* Nimirum ita se sinit precibus ho- minum quasi constringi Deus Opt. Max.; ut per veritatem pro- missionum suarum, iram suam, licet plus quam satis provocatam, in nos exonerare non possit. Silentio hīc prætero Patriarcham Jacobum, qui Labano omnem benedictionem impetrabat. Mitto Josephum, à fame AEgyptum vicinasq; Regiones; mitto Nahamanum Sy- Josua eto. riam in optimo conditionis flore conservantes. Josua prodeat, ad cu- jus preces Sol inditum sibi à Deo cursum stitit, diemq; duplo longior- rem effecit. Nimirum verba illius tanti erant roboris, ut mandati si- mul & executionis vicem præstarent. Nam simul ac in hæc verba prorupisset: *Sol, inquiens, contra Gabaam ne moveāre, & Luna contra vallem Ajalon: Ecce stetit Sol & Luna, donec ulcisceretur se gens de inimi- cis suis.* Adsit & Elias, precumq; suarum exemplo mirandam IN VO-
***Collat. 1.** CATIONIS VERAE efficaciam stabiliat. * Annos tres ac menses sex Reg. c. 17. perpetuo solis igne exusta, viribusq; suis penitus exhausta erat tellus, v. 1. cum toto illo tempore, frustra agricolis cælitus irrigationem expectanti- 6. 18. v. 42. bus. Deprecatur Elias, cultu idololatrico priùs abolito; Et ecce, cælum 43. & seqq. nubibus obscurari, & desuper plenis veluti canalibus pluvia derivari incipit: quā reficiente sitientem terram, pristinus ei fertilitatis vigor restitutus est. *Quid ille integer, ac religiosissimus, patris licet impii filius*
2. Reg. 19.
v. 15. 35.

filius, Rex *Ezechias?* cum pro urbis liberatione Deum deprecaretur,
 parvâ morâ, voti compotem se factum, ex strage Assyriorum & Sena-
 cheribi cæde divinitus factis expertus est, *qui n etiam ex lethali vulnere*
decumbens, sanitatem & prorogationem VITAE in quindecim annos pre-
cibus obtinuit, in cuius rei confirmationem Sol decem gradibus, quibus
modo declinaverat, recedere coactus est. *Jonam cum Ninevitis suis tace-*
am? quorum ille ex alvo immanis cuiusdam balanæ, in qua absor-
ptus delitescebat: hi ab intentata extremi interitus poena, sese IN VO-
CATI O N I S cultu serio liberârunt. Quoties verò Tu *Paule*, quoties,
 dico, & quantam precationis vim expertus es? Sanè ea tempestate
 manifestissimam, qua propter unum T E servabantur in naufragio,
 quotquot T E C U M insani maris fluctibus jactati, miserè periclitab-
 bantur! Ad historicos Ecclesiasticos abire placet? Nimirum apud eos
 tantam exemplorum copiam reperias, ut Oratio citius numero, quā
 numerus Orationi deficiat. Quorum tamen pleraq; ita memorabi-
 lia sunt; ut cùm ea intueor, nihil corum sine magna reprehensione
 prætermitti posse existimem: ita rursus multa; ut cùm illa contem-
 plor, in magno cumulo, quænam eligam, ignorem. Unum tantùm
 ex ubere campo, nisi molestum est, proferamus. Literis memoriaq;
 proditum est; *Arium*, postquam is Palæstinum & AEgyptum perva-
 gatus, Constantinopoli quoq; virus suum effundere cœpisset: tan-
 tum arte, qua valebat, *Sinoniâ effecisse*, ut ii, per quos stabat, quò mi-
 nus in communionem Ecclesiæ reciparetur, in exilium ejicerentur.
 Agebat tunc temporis Constantinopoli Episcopum *Alexander*, vir
 religiosissimus: Is cùm auditione accepisset, *ARIUM* cum mandato
 Imperatorio ad se, sibique commissam Ecclesiam properare: in jeju-
 niis assiduis se attentè desigit, templum, ut solus ibidem sit, clausis
 post se ostiis, ingreditur, ibidemq; aliquot dies noctesq; continuas,
 humili stratus, cum lacrymis Deum orat, ut Ecclesiam præsentí peri-
 culo liberet, & de Ario blasphemarū poenas reposcat; cuius quidem
 devotionis, attendite, quæso, quantam Deus clementissimus tribue-
 rit efficaciam. Etenim postridie Arius, magnâ suorum catervâ stipa-
 tus ad templum deducitur, ubi inter enndum, timore ex conscientiâ
 sceleris orto corripitur, cuius vi, non sine horribilibus ventris tor-

^{2. Reg. 20.}
^{v. 3. usq; ad}
^{v. 12.}

Jona 2 v. 3.
^{& c. 3. v. 5.}

Vide Act. 10.
^{c. 16. v. 25.}
^{26.}

Act. 13.

Ruffinus
histor. Ec-
clesiast. lib.
^{1. c. 13.}
Socrates
lib. 1. c. 25.
^{& 26.}
Sozomen.
lib. 2. c. 28.

minibus alvus laxari incipit: quærenti latrinam, locus in publico, ei
 rei destinatus, monstratur: in quo sedentē, animi defectio occupat, &
 simul cum excrementis anus subito delabitur, magna sanguinis co-
 pia sequitur, intestina, & cætera pariter viscera effluunt, cum splene-
 jecur exoneratur, & effunditur, atq; ita impuram animam cructans
 sortitur foedum suāq; impietate dignum exitium. O admirandam
 piarum preciū virtutem! quibus hostis, cui resistendo nulla sapien-
 tia humana par esse poterat, cogitatione citius devincitur, quin Deus
 ita flectitur, ut voluntati nostræ suam ipse quasi submittat. Et nos in
 precibus tam remissi, tam tardi, tam frigidi & pusillanimes sumus?
 O stuporem cordium nostrorum non tolerandum! O cæcitatem
 mentium nostrarum nullis lacrymis, nullo gemitu satis detestandā!
 O stoliditatem non tam verbis censoriis, quām virgis & scutica di-
 gnam! Nos in calamitatibus & miseriis nostris ad miseros sæpè ho-
 mines, tanquam ad sacram anchoram confugimus: quorum tamen
 voluntas ne vilissimo quidem testimonio nobis perspecta est, aut
 cognita: facultas licet penes ipsos aliqua sit, cū tamen divinæ subsit
 Providentiæ, paulo momento huc atq; illuc impelli, & dicto citius
 ad extremum usq; diminui poterit: Deū verò Opt. Max. quem velle
 nos juvare ex V E R B O per filium nobis revelato; posse verò, etiam ex
 splendidissimis hujus mundi operibus cognoscimus, tanquam im-
 potentem aut asperum, præterimus, ipsiusque opem aut nunquam,
 aut non nisi languide imploramus? Quasi nimirum omnia à mediis
 humanis, & non contrà humana omnia, à divino auxilio & P R O V I-
 D E N T I A dependerent. Cedat stupor ille prudentiæ; cæcitas intelli-
 gentiæ, stoliditas sapientiæ: subeat animum nostrum hæc ad nor-
 mam rectæ rationis exacta consideratio, quantum sit omnium bo-
 norum fontem Deum, ad nostram indigentiam ita se demittere: ut
 cùm possit juvare, & nolle possit, idq; quodā suo jure, de jure tamen
 suo remittat, nobisq; ope sua subvenire velit: & rursus quām ingratii
 animi notā eos inuri, quamque gravi poenā implicari necesse sit, qui
 tam benignè oblatam voluntatem non agnoscent, aut si agnoscent,
 quadam tamen securitate negligunt, vel contumacia (ne quid duri-
 us dicam) respunnt ac contemnunt. De qua perversitate sæpenume-
 ro cogi-

ro cogitanti in mentem mihi venit sententia Aphorismi cuiusdam *Aphori-*
Hippocratici, qui pro certo mentis ægrotæ indicio, quod non rarò *simo 6.*
 prodromus mortis instantis esse solet, illud habet; cùm æger in quo
 se manifesta signa doloris produnt, dolorem tamen se sentire, aut
 morbo se laborare amplius, negat. Eadem ratione certum putemus
 exitium imminere his, qui cùm ita sint miseriarum mole obruti, ut
 non tam aëre & igni indigere, quām ope divinā opus habere videan-
 tur, nullum tamen sensum miseriæ percipiunt, aut si percipient, pro-
 pter mentis suæ cæcitatem ita, ut decebat, de ea jūdicare nequeunt,
 neq; veri illius MEDICI ac σωτῆρος ANIMARUM nostrarum auxiliū
 implorant, aut implorare satagunt. In quam sententiam præclarum
 illud Dei organon, Dominus *Lutherus*, beatæ memoriæ. quantò, in-
 quīt, homines exitio propiores sunt, tantò securiores redduntur,
 quò fit, ut non taq; preces negligent, sed tanquam rem nauici
 penitus aspernentur, ut rectissimè de illis dici queat, quod de *Leone*
Pontifice narratur: qui adhibuisse aliquando ad mensam fertur duos
 Philosophos, quorum alter immortalitatem animarum asseruerat,
 alter earum interitum defendere conatus erat. Cumq; tandem lon-
 gâ dissertatione ultrò citroque habitâ, Pontifici, uter rectius dixisset,
 pronunciandum esset: conversus ad eum, qui animarum immorta-
 litatis defendendæ patrocinium suscepérat: Tu, inquit, vera quidem
 videris dicere, sed adversarii tui oratio bonum mihi multum promittit.
 Erat enim eo ingenio, ut mallet se ad breve tempus in hujus vitæ
 voluptatibus, ceu suis in luto, pro libitu volutare, quām peccatorum
 suorum atrocitate agnitâ, precibus ad Deum configere, & promis-
 sionis, de vitæ æternæ seriâ ac perpetuâ lætitia sese participem red-
 dere. Idem hodie multis usuvenit, qui cùm certissimis argumentis
 & exemplis ante oculos positis edocentur, quanti commodi res sit,
 precibus se ad Deum convertere: otio tamen ac voluptatibus hujus
 mundi indulgere malunt, & mancipia Diaboli in æternum rema-
 nere; similes *Gryllo* illi *Homerico*, qui, cùm reliqui Ulyssis socii à Circe
 in sues transformati, pristinæ formæ redderentur; conditioni huma-
 næ sordidam suam consuetudinem longissimè prætulit. Sed mane-
 bit nimirum istos ea sors, qua delectantur, & maledictionem quam

C

adamarunt induent. Quandoquidem spiritualibus illis armis, quibus Diabolum, perfidum illum ac juratum generis humani hostem repellere possint, sese non instruxerunt: somno tandem ac voluptatibus carnis inescati ab ipso opprimentur, & inermes, viribusque ipsi impares in eam servitutem rapientur, cuius atrocitas nullo rationis humanæ acumine, satis investigari potest, quamq; ipsa æternitas semper intuebitur. Nos verò, qui ex verbi ac spiritus Dei testimonio in cordibus nostris sancto scimus, hanc esse ejus voluntatem, ut prece mur; qui precando nos in colloquium cum ipso C R E A T O R E admitti noverimus: qui, quod cupimus, obtinere nos precibus credimus, & adversus insidias hostis nostri infensissimi, munitos esse compemus; ad cultum piarum precum alacriores simus, & quantum conniti mente possumus, quantum C O R D E contendere, tantum efficiamus, neq; committamus, ut præclaris p r o m i s s i o n i b u s , jure jurando quoq; confirmatis, exemplisq; præstantibus illustratis, à fonte V E R I T A T I s abducamur, ne nobis ipsi defuisse videamur.

Sed quò longius evchor in altum, eò mihi latior Oceanus sese aperit; qui verò temporis me ratio cursum inhibere, portuique, ve lis armamentisq; complicatis, repente appellere jubet, finem dicendi faciam. Si Vos priùs enixè rogavero, ut si fortè minus à me tersè & ornatè dictum, quām hujus amplissimi loci conditio, auditorum dignitas, M A T E R I A E Q. ubertas, & præstantia postulabat; virium mearum infirmitati, ac ætati huic meæ id omne condonetis. Evidem si non indignus à V O B I S qui auditus sim, judicer, erit quod mihi maximo pere gaudeam. Sin secus, hac tamen mea balbutie, cœu imperitus fidicen, A R T I F I C E S provocavero, ac peritiores in medium quasi agmen & pulverem produxero. Quod si fiet, non parum hujus Illusterrimæ scholæ celebritati, studiis verò nostris apprimè consultum esse experiemur. Nunc verò, posteaquam hanc de I N V O C A T I O N E tractationem absolvi, res boni exempli erit, si seriâ Invocatione me vobis præcuntem, tacitis suspiriis subsequamini:

T I B I igitur magne Rex cœli, maris ac terræ, gratias, quantas animis nostris concipere possumus, agimus: quòd præter innumerabilia beneficia, quæ in totum genus humanum largissimè effudisti, eâ nos

nos præsertim gratiâ coronaveris, cuius magnitudinem nulla lingua
 enarrâdo, nulla mens cogitando satis assequi possit. Tu nos miseros
 homines, qui nulla fatalium periculorum cogitatione, nullâ imbe-
 cillitatis & indigentiae nostræ cognitione, ad implorandam opem
 tuam adduci potuimus, præter severissimum mandatum tuum, ami-
 cis, & paternis, insuper nos pollicitationibus, exemplisque beneficis
 tuis, aliorumque piorum, ita N os allicis, ut pectus deploratū, & caute-
 durius habere eum neesse sit, qui T E, tam benignum patrem confi-
 dentiùs adire ac omnia necessaria à T E petere ac expectare non au-
 deat. Agnoscimus dolentes magnitudinem ingratitudinis nostræ, ac
 molem calamitatum, quibus genus humanum propter peccatum
 subjecisti. Procidimus supplices ante faciem tuam, porrigimus tibi
 dilectum filium tuum, qui in humeros suos grande delictum deri-
 vans superabundanti compensatione tuae justitiae satisfecit: & nunc
 stat ad dexteram tuam instar umbraculi, ne ira tua absorbeat totum
 genus humanum. Propter eum exaudi N os, remitte nobis gravia
 peccata nostra, & deinceps serva has politias, quæ præbent hospitia
 Ecclesiæ tuae. Defende pios Magistratus: *Caput Imperii Romani, &*
hoc regimen contra omnes furores Satanæ, Turcarum, & aliorum
organorum Diaboli. Guberna Spiritu tuo sancto pios, *Inclitos ac*
Generosos Nassovios Comites, ut in laudabili instituto suo gnaviter per-
 gant, & perseverent, defendant tuam gloriam, exædificant Ecclesi-
 am, foveant ac sustentent hæc nostra studiorum tuguriola, in qui-
 bus sonat T ua doctrina, & in quibus parvuli alumni palmas suas, tā-
 quam pulli implumes, remigia alarum suarum, ad te invocantes at-
 tollunt: Ita te dante agnoscemus tuam præsentiam & opem in libe-
 randa ac protegenda Ecclesiâ, & ex tua benignitate Reges ac Princi-
 pes (abolitis omnibus falsis cultibus, qui jam in omnibus ferè Chri-
 stiani Orbis partibus dominatum obtinenter) conveniant
 in unum, & tibi serviant in verâ fide, & cari-
 tate non simulatâ. AMEN.

Tῷ Θεῷ μόνῳ Δόξᾳ.

C ii



EPIGRAMMATA

Ad

PIETATE ET SINGULARI ERU-
DITIONE PRÆSTANTISSIMUM JUVE-
nem Dn. Samuelem Phrysum Pomeranum LL. studio-
sum ab amicis scripta.

Ἐυχαὶ ὥπλα φυλακῆιε τε καὶ ἀμυνῆσα.

Marcet & in putrem transit ferrugine terram
Ensis crudeli fulgidus hoste carens.
Friget & exiguo venit illa precatio zelo,
Quam non inter dum vis inimica premit.
Ardentes fudere preces, ardentia vota
Sancti fecerunt, hoste premente, viri.
Nec frustra, auxilium cælo nam misit ab alto
Fulmine disjiciens agmina sæva Deus.
Horrendas Sanherib vomitans è fauibus iras
Ezechiæ precibus milite cassus obit.
Armis Davidicis Saulus prosternitur, armis,
Quæ fuerant precibus condecorata piis.
Quare age, militiam sequeris qui sub duce Christo,
In pugna noli succubuisse gravi.
Fortiter ast insta, venient tibi præmia digna,
Præmia quæ nunquam posse perire puta.

2. Reg. 19.

M. Henricus Gutberleth Hersfeldianus Haf-
sus, Philosophiæ in schola Herbornensi
Professor,

ALIUD.

ALIUD.

Alcides teneri quondam Ganymedis amore
 Palluit: unde tibi pallida labra Phrysi?
 Ast ego quid quero, pudor heu! facundia præsens
 En satis illorum quæ sit origo docet.
 Musæ te talem reddunt: male suada Cupido
 Haudquaquam: in Musis est tibi cunctus amor.
 Sic utinam cuncti facerent qui insignia jactant
 Majorum, fastos enumerantq; suos:
 In meliore foret certè Res publica flore,
 Et major sanctis artibus esset honos.
 Sed vivant alii tantum quos cura fatigat
 Vivere, tu solito vivere perge modo.
 Et te (crede mihi) victorem vivida tandem
 Virtus sublimi ducet ad astra viâ.
 Faxit hoc omnipotens: Deus est qui Trinus & Unus
 Det desiderius vela secunda tuis.

Justus Grenzenbach, Las-
 phæus L L Stud.

ALIUD.

INgeminare preces ardenter rebus in arctis,
 Est firmum telum, præsidiumq; sacrum.
 Obserat imbriferas nubes oratio casta:
 Ad sacra vota piūm concipit Auster aquas.
 Aßiduis precibus fulvos vicere leones
 Districtos enses, mille pericla pii.
 Isacidum Princeps gestis clarissimus olim
 Obtinuit, staret Phæbus ut orbe, prece.
 Fluctibus adversis portus placidissimus ergo est,
 In medio lembis anchora tutamari.

C iii

22

23

Castus erit semper cultus, veneratio firma arx:
Et cinget pressos cunctipotentis ope.
Stabunt divinâ dextrâ pia vota ferentes,
Cùm dirus Satanae corripit arma furor.
Cujus VIRTUTIS genium sermone diserto
Ingenue SAMUEL cælica ad astra vehis.
Vertice sublimi & convexum tangis Olympum;
Argutè suadens vota ferenda Deo.
Floridus hic sermo, pietas, doctrina modesta,
Daphnide cingantur tempora docta facit.
Ergo age solerter, JUVENIS doctissime, tales
Collige divitias; Cecropiæ instar apis.
Aonio frontis conspersæ flore manebunt
Præmia perpetuò, laus, honor, atq; decus.

Michaël Orvos Surius
Ungarus.

A L I U D

H umana quamdiu placent hæc plus satis,
Minus placent cælestia.
Humananos igitur tenebunt quamdiu,
Curanda sunt cælestia.
Hominem Deus quondam in patente machinâ
Mundi locavit integrum,
Similem creatori gerebat imaginem,
Multis nitebat dotibus.
Nunc indigus contrâ, maloq; obnoxius.
Inops opum est cælestium.
Enpostulet ut humana jam necessitas,
Curentur ut cælestia!
Ergo invoca, voca, labora sedulo
Labore, tu terræ incola.

23

*Id vult Deus, qui casta mens, ut casta sit
Precantis invocatio.
Et ipse dat, sit casta non ut irrita
Precantis invocatio.
Sic explicat nobis tua hac oratio,
Ex fonte sacri Codicis.
Sic excitat, PH R Y S I, tua hæc oratio
Nos ad piorum munia.
Sic nos docere, nos monere serio
Labore post hac pergit.*

Hugo Pelletarius Aquisgra-
nensis LL.Stud.

F I N I S.




24

25. 1. 1. 1. 1.

b. 1. 1. 1. 1.

2. 2. 2. 2. 2.





Gf 133

ULB Halle
002 178 605

3



SB.

ABE

B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

